Valerianus

Nicolai Virtus non expectans annos.

VIRTVS

Non expectans annos.

D. VALERIANI ALEMBECHII,

Immaturitate immortalitatem adepta.

LAVRO INSIGNITA,

Festiuis fessa acclamationibus,

HANCCE LAVRVM,

Immortalitate donatam lauris,

Excellentiss: & Admodum Reuerendi

D. FRIDERICI ALEMBECHII,

ARTIVM & PHILOSOPHIÆ

DOCTORIS

Fratris sui.

INSERIT, COLLOCAT, APPONIT,

IMMORTALEM LAVRVM IMMORTALIS

AMORIS MNEMOSYNON POSVIT.

NICOLAVS FATOWICZ *Artium & Philosophiæ Candid.*

Laurus lauro data, hæc dum, vides mirare, prædica vale.

Ad Reuerendum D. D.

FRIDERICVM ALEMBECHIVM ARTIVM & PHILOSOPHIÆ DOCTOREM.

Nicolaus Fatowicz Artium &
Philoſophiæ Candid.

ACcipe laurigeræ fidum thoraca Mineruæ
Accipe, habes animi nuntia dona mei.
Carmina parua damus, maiores multa, locuti
Plura Thalia poteſt, addere noſtra nihil.

VIRTVS LEGENTI.

NVda vocor non nuda tamen, non auribus vllis
Audior, & nullo noſcor odore proba.
Angeris, exoptas, ſtudioſè quæris, & inſtas
Me ſi noſcere vis, noſcito ALEMBECHIVM.

Vt enim Ariſtarchus Homeri verſum negat quem non probat, ſic tu (libet enim iocari) quod diſertum non erit ne putaris meum Cic: lib: 3. Epiſt: 11.

VOLO DICERE & NESCIO DICERE.

PAndite nunc Helicona Deæ, date serta Poëtæ
Teia coronatis Musa triumphet equis
Phæbe tuum diffunde Pharos, nunc indue vestem
Phidiacam, niueas nunc bene pecte comas.
Dixi: mox sonuere lyræ, sonuere pharetræ
Phæbus adest, nosco per sua signa Deum.
Phæbus adest; age? quis sis? quem quid poscis adesdum?
Dixerat, at mea mox, præpedit ossa timor.
Quid faciam dubito, cunctor, tremor occupat artus;
Et iam rupta metu, verba loquentis erant.
Phæbus adest ait ille; nemus collesq́ chorosq́
Pierios lustrat, clamitat, hem veni vbi es?
Phæbus adest vidit, (quid enim non ille videret)
Hæreo, plectra tacent, muta dolore lyra est.
Phæbus adest, compone metum, quid Phæbe poposcis?
Hæc ait: at pro me Musa locuta mea est.
Vates Phæbe veni, summorum gloria vatum
Summa peto summis, annue summe, sumus.
O scio quid poscas, meus est meus est mihi soli,
Debetur, meus est, o meus inquit erit.

Ingeminat gemebunda modos, & poſcit, & inſtat
Muſa ſit o noſter, clamitat, o meus eſt
O meus inquit erit, certatq́, gemitq́, petitq́,
Miteſcunt molli, pectora victa prece.
Da mihi te placidum; durum petis attamen inquit.
Flecti importunâ, me ſinor ergo prece.
Quem poſcis tuus eſt, tuus eſt, permitto quid hæres?
Iam meus, o plus iam, quam cupis extat amor.
Ergo animos aſſume nouos, animis opus eſt hic,
Summe animos animis, cedat vt ille tuis.
Iuſſit ſed cohibet vires, animuſq́ pudorq́
Dicere dum cupio, dicere neſcio. vbi eſt?
Phæbus vbi eſt datum reddo conſumor & vror,
Vror amore veni, maior amare venit.
Sit tuus, eſt totus tuus eſt, illudis inermem
Dum mihi totus adeſt, iam mihi totus abeſt.

PHÆBVS CVM SVIS

VALERIANVS ALEMBECHIVS
ARTIVM & PHILOSOPHIÆ
BACCALAVREVS.

Ana-

Anagramma.

IBELLVLE CHARE MVSIS CHARE TVIS PROVOLA AVITA CAPE MVNIA HABES.

ACcipio datum miror quod reddidit unquam
Tam bona constanter, præda tenenda fuit
Pandite, Pandite nunc cytharas, cantusq; lyrasq;
Pierides moueant, myrtea serta date
Myrtea serta date, subito ruralis Apollo
Mouit inauratæ plectra sonora lyræ
I fortuna vocat, virtus comitatur euntem
BELLVLE *belle veni, bellule belle redi*
Concinit hæc, sed & hæc, & multo plura volebat
Clio sed auratâ, pollice plectra scidit.
Dulciloquos tandem, calamos concentibus urgens
Mox ad ALEMBECHIVM, *talia verba dedit*
MVSIS CHARE TVIS i CHARE *petitq; vocatq;*
Virtus, tu comiti Dux, comes ipsa duci.
Vade age, PROVOLA *honoratus* CAPE MVNIA AVITA
Hoc studium pudor hoc, hoc pia lingua dedit
Vade age, dixit HABES *tua sunt virtute, labore*
Sæpe parata tibi, sæpe paranda cape.

VALE-

VALERIANVS ALEMBECHIVS
ARTIVM & PHILOSOPHIÆ
BACCALAVREVS.

Anagramma.

EN VICIT. PHÆBI LAVREOLAM
AVREOLAM HABEAS, PLACES
HIS VICTVRVS.

EN VICIT.

QVid mihi fiet ait? quæ belli causa probabo,
Nunc noua, nunc primum, miles in arma veni.
Ecquis adest? adsum miles, non castra lacesso.
Nulla Lycambæo sanguine tela madent.
Cognouit Phœbus pharetras, arcusq; lyrasq;,
Noster adest age, Mars nomen, & omen habet.
Sudasti sudata capis, sudabis habebis
Hæc pete dumq; petes, quæ dedit vsq; dabit.
EN VICIT. *Sudata capit, quæsita reportat*
Hæc si tu nescis quærere, cura fuit

Phœbi

PHÆBI LAVREOLAM AVREOLAM HABEAS PLACES.

Sim cuius quæris? PHÆBI *mihi casta probantur*
Purpureusq́; pudor, cultaq́; simplicitas
Gratia quem vestit, decor ornat, gloria honestat
O tua sum tua sum præda petenda tibi est
Casta placent castis, Heliconis numina scandis
Phæbeas comites assequerisq́; comes.
Casta tuli cui casta placent cui casta paraui
Casta PLACES HABEAS *nec nisi victor abi*
Casta placent intacta placent intacta capesse
LAVREOLAM AVREOLAM *laureolam aureolã.*

HIS VICTVRVS.

Lesbys amica lyram mihi votam porrige, vici,
Iam licet ingenti, dicere voce tuli.
Parta tuli, iam parta tuli, mea Sparta probatur
Huc ades, o curis præda petita meis.
HIS *ego* VICTVRVS *curis victura paraui*
Laureolam aureolam, quam cupii arripui
Præda vocor mihi præda placet, tua præda (probaris)
Sim sum, rapta semel bis quoq́; digna rapi.

HÆC

HÆC
VIDEO & INVIDEO
ZOILVS.

INuide quem lædis? quem odi quid rumperis? inquis
Rumpor & inuideo rumpor & inuideo
Omnia casta vides mihi sed, nec casta probantur
Non sapit (o bellum) non sapit adde piper.

CRACOVIÆ, In Officina Francisci Cæsarij.
Anno Domini 1634.